

**Tentamen medicum inaugurale, de febre puerperali ... / eruditorum examini
subjicit Rhynd Lawder.**

Contributors

Lawder, Rhynd, -1836.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant J. Pillans et filius, 1821.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/g4shy5f5>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

9.

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE,
DE
FEBRE PUERPERALI :

QUOD,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI ;

NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
RHYND LAWDER,
HIBERNUS,

NUPER LEGIONIS XXXII CHIRURGUS SECUNDUS.

“ Curatio morborum temporariis eget medicamentis.”

BACON.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI :
EXCUDEBANT J. PILLANS ET FILIUS.

MDCCCXXI.

TESTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

FEBRIS PUERPERALIS

QUOD

ANNUNTIAT SUMMO NUMERO

EX AUCTORITATE RECTORIS UNIVERSITATIS

D. GEORGI BAIRD, S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGHENSIS PRAELECTOR

RECTOR

ACADEMIAE EDINBURGHENSIS PRAELECTOR

ACADEMIAE EDINBURGHENSIS PRAELECTOR

Pro Gradu Doctoris

IN MEDICINA HONORIS AC PRIVILEGII

INTE ET LEGITIME CONSEQUENDI

RECTORIS UNIVERSITATIS

REYNOLD LAWDER

WIRRENT

ACADEMIAE EDINBURGHENSIS PRAELECTOR

ACADEMIAE EDINBURGHENSIS PRAELECTOR

RECTOR

ACADEMIAE EDINBURGHENSIS PRAELECTOR

EDINBURGH

EXCELSIORI A. THOMAS ET FILII

MDCCCXXI

VIRO EXIMIO,
EDVARDO LAWDER,

ARMIGERO,

VITÆ INTEGRITATE

ET MORUM URBANITATE

ORNATISSIMO,

CUJUS

AMICITIAM BENIGNE COLLATAM, AB TENERIS
USQUE ANNIS CONTINUO

EXPERTUS EST,

HASCE PAGINAS,

TENUE

GRATI ANIMI TESTIMONIUM,

SACRUM VULT

R. L.

VIRI EXIMO,

EDUARDO LAWDER,

ARMIGERO,

VITAE INTEGRITATE

ET MORUM URBANITATE

ORNATISSIMO,

GLORIO

AMICITIAM BENIGNE COLLATAM, AD TENERIS

ESQUE ANNI COESTRIBUS

EXPERIENS EST

HASCE PAGINAS,

TUNC

GRATI ANIMI TESTIMONIUM

SACRAM VITAE

R. E.

ROTHOM

GULIELMO BUCHANNAN,

ARMIGERO,

LEGIONIS XXXII CHIRURGO EMERITO,

SCOTO,

VIRO NON MINUS OB PERITIAM IN ARTE SUA,

QUAM OB BENEVOLENTIAM

INSIGNI,

HOCCE OPUSCULUM,

PROPTER AMICITIAM,

D. D. D.

ADJUTOR NUPERUS

AUCTOR.

LIEFMO BUCHANNAN,

ARMIGERO,

REGIONS XXII. CHIRURGO EMERITO,

SCOTO,

NON MINUS OB PERITIAM IN ARTE SUA,

QUAM OB BENEVOLENTIAM

INSIGNI,

HOCCO OPUSCULUM

PROPTER AMICITIAM,

D. D. D.

ADUTOR SUPPES

AUCTOR

To
J. J. Armin Jr.

With the ^{best} wishes of the

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

FEBRE PUERPERALI.

INTER mala quæ Feminas parturientes invadunt, nullum tristius, nullum plures interimit, quam Febris Puerperalis, de quo, jubente hac Alma Academia, nunc mihi in animo est tractare.

Nullam corporis constitutionem aut temperamentum præ cæteris occupat, quibus corpus est validum, et quibus imbecillum, quibus idem robustum et quibus delicatius, juvenes et proveciores, nuptæ innuptæque, quæ facile, quæque ægre partum ediderunt pariter in hunc morbum incidant.

Morbus plerumque esse reperitur, qualis a Doctoribus Leake et Denman describitur: omnia enim indicia his auctoribus exposita in oculos aliorum inciderunt, non in eodem quidem ordine, quo illi posuerunt, nec omnia in eadem ægra in conspectum venerunt; sed, morbo aliis atque aliis locis grassante, adeo conspicua edita sunt ut nemini dubium esse possit mali naturam eandem esse. Quum vero indicia supra dictis medicis notata plerumque viderim in pluribus morbi exemplis, quæ mihi inspicere contigit valetudinarium obstetricium Eblanæ frequentanti, Anni MDCCCXX, vere et æstate; de iis tantummodo loquar.

“When,” says Leake, “the quickness of the pulse brought on by the efforts of labour, does not soon go off after delivery, it denotes something wrong in the habit, which may kindle up a fever, and which is always found to be the more dangerous, the sooner it invades the patient after delivery.”

Plerumque Puerperalis Febris accedit ad vesperam secundi aut tertii post partum diei, cum rigore vehementi, interdum tamen adeo levi, ut vix ægrotanti percipiatur, nec evenisse sentiat, nisi de eodem interrogetur, aliquando

statim post partum editum febris feminam invadit, raro post diem quintam sextamve, rarissimis in exemplis ad decimam. Multis in feminis accessio subita est, nulla antecedenti affectione, quam sequitur dolor ex repentino acerrimus ad partem abdominis aliquam sese tenens, sæpissime ad pubem, parte affecta tenerrima et dolore ex pressura levissima aucto: paulatim per totum abdomen dolor tendit: pulsus frequentes fiunt raro pauciores 120 horæ minuto numerantur, et ad 160 crescunt: sæpe eo usque ut morbo præsertim provectione non sint recensendi; vi et plenitudine variant, plerumque tamen debiles sunt. Cutis calor raro temperiem corporis solitam exsuperat, sæpe tamen eadem minor est, inter initia etiam morbi vultus admodum mutatur, pallidus fit, lineamenta subsidunt, oculi parum vividi hebescent, et circa eosdem annulus subniger videtur; ad os quoque lividitas est, et totius vultûs aspectus morbo proprius qui dolorem anxietatemque depingit: hic vultûs status, aliis indiciis nondum editis, morbum accedentem sæpe prænunciat. Partes musculosæ molles flaccidæque evadunt, alvus pertinaciter supprimitur, gravi simul lumborum dolore urgente, levissi-

ma in lecto motione augendo. Perquam imminuuntur vires ; vomitu haud facile submovendo, sitique magna ægrotans exercetur. Lingua aliis humida et nitida est, aliis sordida marginibus rubris, et aliquando muco cæruleo aut plumbi colore, qui lactis florem refert, alte tegitur : Raro diarrhœa adest nisi prope morbi finem, et siquando primis diebus accesserit, per totum mali cursum, mussitatione simul comitante, ad mortem usque manebit.

Quod agatur aut fiat coràm quædam ægræ parum ad id animum attendunt, interrogatæ tamen de re aliqua satis bene respondent, et id sollicite agunt ut non tantum, quantum revera, morbo affici judicentur ; dolorem queruntur acrem a ventriculo interdum ad umbilicum, interdum ad costam brevissimam, et ad scapulam tendentem, respiratione auctum. Aliquando infantes lactare nolunt, et sæpe eosdem lecto humi projicere conantur. Aliis mortis timor nullus, aliis maximus minimeque levandus est, atque is quidem inter ipsa morbi initia, imo ante partum editum, et profecto male reperitur eventum timori respondere. Urina parca, et ruberrima sedimentum grave dimittit, cito abdomen tumet et sæpe in molem tan-

tum crescit, quanta, prius femina parturivit, existebat: hoc indicium quod cætera omnia antecedere vidi a Doctore Labatt quam optime morbum indicare habetur. Raro lac secernitur, et si forte secretum est, ineunte morbo, supprimitur; mammæ flaccidæ fiunt et extenuantur. Lochia aut humor furvo viridive colore, qui valde foetet, effunditur. Artuum juncturae sæpe inflammatione erysipelatosæ afficiuntur, quod indicium haud raro morbum antecedit: aliàs partes extremæ maculis lividis hic illic teguntur, ad finem floccos miseræ colligunt, abdominis tumor ex subito imminuitur, vitri similitudinem oculi induunt, invitis alvus dejicitur; delirium mussitans urget. Sudor gelidus effunditur per corporis truncum partesque extremas, spiritus citus est, mors advenit.

DE SECTIONE CADAVERIS.

VISCERA, quæ thorace continentur, sæpe inflammationis actionem subiisse reperiuntur. Peritoneum pene omni in exemplo et tenuium intestinorum tunica, quæ e peritoneo efficitur, gravis inflammationis notas præbent. Omen-

tum extenuatum esse plerumque invenitur: in abdominis cavo crebrius adest humor, qui serum cum pure mixtum refert; minime is tamen scatet pro eo ut partes vitio afficiantur: in aliis atque aliis quoque abdominis partibus adhæsiones, tæniarum modo, videntur. Tubi Fallopiani nunc materia purulenta complentur, nunc ex toto delentur. Uterus sanus est, nec morbi urgentis pars fuisse videtur: at patet ovaria haud raro graviter inflammata esse, et in suppurationem abiisse. Ventriculus aëre distenditur, aut humorem nigro colore continet ei similem, quem, dum vita manebat, ægra vomitabat; hujus organi quoque vasa mole augentur sanguine plena. Intestina tenuia flatu complentur: fellis vesica proprio humore plena est.

DE MORBI NATURA ET CAUSIS.

Ab aliis hoc malum naturæ ex toto inflammatoriæ esse, ab aliis habere inflammationem et progressu formam febris debilem sive Typhoideam induere putatur: alii denique censent sub utraque forma incidere, ut in generi-

bus Sporadico et Epidemico, quorum prius fere semper privatis domibus, posterius plerumque in Nosocomiis conspicitur.

Causæ mali prædisponentes sunt, quæ valde animum afficiant, quæque vires imminuant, corpus imbecillius reddant; qualia sunt luctus, anxietudo, aër corruptus, dieta prava, alvus astricta, quædam aëris conditio, lassitudo, atque effectus quos parturitio in corpore edit. "As we find," inquit Dr Leake, "that until
"that change takes place, women are not sub-
"ject to it. For I have observed, (ait ille),
"that those who were with child assisted the
"nurses in attending the sick, were perfectly
"free from it, even when it was most rife, but
"being delivered, several of them sickened
"soon after, and were affected with the same
"symptoms as the rest."

De causis morbi excitantibus, multum apud auctores ambigitur, qui de hac re disseruerunt, neque hactenus inter medicos constat, quæ eundem moveant: hac super re Leake ita scripsit, "When the pressure of the gravid
"womb is suddenly taken off from the aorta
"descendens by delivery, the resistance to the
"impulse of the blood passing through the

“ vessels derived from it, and distributed to
“ the contiguous viscera, will be considerably
“ lessened; it will therefore rush into those
“ vessels with a force superior to their resist-
“ ance, and by putting them violently on the
“ stretch, occasion pain, inflammation, and fe-
“ ver, particularly in the omentum and intes-
“ tines, where they are numerous and most
“ yielding; and that this is the more probable,
“ because the arteries, before they enter the
“ viscera, are divested of their strong exter-
“ nal coat.”

Contagio quoque et infectio, mutationes cæli
subitæ, lac suppressum et lochia absorpta, aut
impedita, causæ excitantes habentur.

De contagione et infectione memoratu dig-
num est, olim pro causis morbi excitantibus,
a medico præclaro artem obstetricium Eblanæ
exercente duci, qui nunc eam opinionem exuit,
et rationes sequentes profert, quare aliter atque
antea sentiat. Quod nempe videt plures mu-
lieres, tam quæ in valetudinarii regionibus ubi
hoc morbo implicitæ erant, quam quæ in aliis
regionibus cubabant, in febrem alias post alias
incidere, spatio temporis adeo brevi interposi-
to, ut, hujus medici opinione, fieri non posset,

ut aut per contagionem aut per infectionem malum ab alia ad aliam, intra id temporis spatium, communicari quiret. Hunc morbum igitur potius attribuit conditioni aëris et naturæ mali epidemici prius grassantis, causis prædisponentibus adjectis. Opinionem sibi confirmari arbitratur ex eo quod, plurimos domi invasit in quibus minime contagione aut infectione concitari posset. Ei placet conditionem aëris, operâ ad Nosocomia ventilanda parum datâ, oriri posse, quæ morbum allatura sit. Negat tamen magnum parturientium numerum in Valetudinario cubantium posse, si omnia expurgandi cura adhibetur, quidquam conferre ad morbum ciendum,

De hac re igitur opiniones medicorum parum inter se constant: Hulme censet hanc febrem non magis contagione, quam Ileum, Pleuritidem aut Nephritidem propagari: Gordoni opinio est eandem quam maxime contagiosam esse: Hey minor arbitratur, si quidquam contagiosæ naturæ habeat, id non ita magnum esse.

Febrem non esse contagiosam sequentia suadent; si contagione excitari potuerit necesse erat ut, in Valetudinario Eblanensi circiter ini-

tium prioris anni, ubi creberrima urgebat, ab aliis ad alias parturientes per tot curantes et discentes, qui sæpissime erant inter febre laborantes, idem sæpenumero transferretur; nullo tamen exemplo morbus afferri hoc modo videbatur. Porro morbum non esse contagiosum ex eo patet, quòd ejusdam Valetudinarii Medici quamquam artem suam admodum, more privato, exercebant, tamen ne unum quidem exemplum incidit, quo parturientium, sub eorum cura, quæquam contagione (si qua hujusmodi est) infecta, aut morbo tentata est; et id quoque ipso tempore, quo morbus feminas melioris famæ et etiam alti ordinis, ut bene notum est; tollebat, quarum medici minime inter ægrotantes Valetudinarii, de quo agitur, versabantur. Eo tempore autem morbus creberrimus erat non solum Eblanæ, sed etiam ruri adeo procul illa urbe, ut fieri non posset, ut inde contagione communicaretur. Ad hæc si malum contagiosum esset, necesse est ut aliæ post alias eodem implicerentur, quum apud hoc Valetudinarium altera in locum alterius celerius suffecta sit; porro in regionibus ejusdem Valetudinarii minime incidere videbatur ea lege, qua malum contagiosum solet: tali modo enim

in conspectum morbus veniebat; pauci tantum afficiebantur in quibusdam regionibus plerumque procul inter se remotis, dum omnes, in iis proxime earum cuivis sitis, febre vacuæ erant; deinde, in regionibus ubi jam apparuit, morbo decedente, sæpe non nisi post plures menses interdum non omnino, redituro, una atque altera eodem interdum die, imo eâdem horâ in aliis regionibus prius immunibus febricitare cœperunt morbo. Postremo plus semel incidit, e tribus parturientibus in lectis juxta positis, feminam utroque latere cubantem morbo implicari, dum illa quæ media cubabat, eodem immunis manebat.

Aëris temperiem et cæli mutationes quidquam conferre ad hunc morbum ciendum minime in aperto est: grassari conspicitur, tum caloris tum frigoris temperie, tempestate sicca tum humida, locis tum editis, tum inferis, tum in vicis, tum in urbibus; quibus omnibus aër multum diversus est. Nec magis probabile est lac suppressum vel absorptum morbi causam esse, quippe quod raro prius secerni incipit, quam febris accedit. Gordon affirmat, "that, except
" in two cases, he had not seen the secretion
" of milk to have taken place before the ac-

“ cession of the fever.” Neque denique licet judicare lochia absorpta eundem excitare : illa enim (aut humor illis similis) pene semper per totum febris cursum effunditur.

Mortuarum sectio docet hunc morbum inflammationem peritonei esse, et hanc, si non semper, sæpenumero saltem, ad ovaria, Tubos Fallopianos, et interdum ad ventriculum serpere. Ad opinionem Doctoris Hamilton accedo, qui in prælectionibus suis dicit inflammationem esse Erysipelatosi generis ; omnia enim indicia, quæ morbum comitantur, imbecillitatem significant, qualia in Erysipelate conspiciuntur, vomitus et dejectiones biliosæ, ventriculi irritabilitas, fæces fætidæ, pulsus parvi, celeres et debiles, atque imminutæ vires. Mihi hæc opinio parum dubitabilis videtur, ex eo quod exinanitiones protinus auxilium afferunt. Qualis autem sit materia peculiaris, quæ hanc inflammationem moveat, non possum pro certo affirmare. Mihi tamen verisimile videtur, eandem posse, multis in exemplis, originem trahere ab acri materiâ per vasa absorbentia ex intestinis haustâ et quadam actione morbidâ ad peritoneum allatâ quod jam delicatum factum, et irritatum est, atque ex conamine parturiendi te-

neram ejus fabricam male afficiente, aut ex imbecillitate quibusdam corporis constitutionibus propria, proclivitatem induit ad nimiam morbidamve actionem suscipiendam. Negare tamen nequeo posse oriri genere nervoso, per aëra corruptum, affecto, quippe qui multum conferre reperitur, ut plurimi excitentur morbi haud dissimiles ei, de quo agitur, quatenus ad debilitatem et mortem afferendam proclives sunt.

DE DIAGNOSI.

HUNC Morbum probe dignoscere magni momenti est; quo maturius enim morbi natura in notitiam venit, eo melior est spes ægram ad sanitatem perducendi. Indicia profecto, quæ huic cum aliis malis communia sunt, pauca existunt, nec ea sunt, si idonea cura adhibetur, ut diagnosis in medio relinquatur. Confundi tamen potest primo cum febre lactea, deinde cum doloribus partum excipientibus; tum cum colica; porro cum hysteritide; et postremo cum febre haud levi quam alvus astricta et male se habens movet, non dissimili quidem huic

malo, sed plerumque celeriter purgantibus medicamentis submovenda.

Tabula quæ sequitur in conspectum indicia dat, quibus hic morbus ab aliis jam dictis dignoscatur.

In Febre Puerperali.

In Febre Lactea.

Abdominis ad quandam partem aut regionem dolor urget acutus.

Abdomen molle est nec præter naturam afficitur.

Rigor gravis incidit.

Rigor quoque incidit aliquanto tamen levior.

Sæpenumero abdomen tensum tumet, atque e levissima pressura male se habet.

Abdominis moles nihil solito major est, neque e pressura molestia ulla affertur.

Pulsus admodum celeres sunt fere semper a cxx ad clx, exigui duri aliquando debiles.

Pulsus celeres pleni durique sunt, et raro ultra xc numerantur.

Lac, si secernitur, supprimitur, et mammæ flaccidæ fiunt.

Lac secernitur et copiâ usque augetur, mammæ teneræ duræque tument.

Vultus collapsus atque anxius pallet.

Vultus tumidus rubescit.

Morbus morte finitur plerumque intra horas 72.

Post horas xxiv aut xxxvi, morbus plerumque decedit.

*In Febre Puerperali.**In Doloribus Partum Excipientibus.*

Abdominis dolor perpetuus est, et pressurâ quam levissimâ augetur plerumque simul cum tumore et tensione.

Dolores remittunt et pressurâ sublevantur, tumore et tensione nullis; dolores porro post horas xx plerumque decedunt.

Vultus collapsus pallet.

Vultus ex toto naturalis est.

Per totum febris cursum pulsus celerrimi atque exigui sunt.

Inter dolores pulsus celeres sunt, doloribus tamen submotis cito quiescunt.

Cutis raro ultra, plerumque infra temperiem solitam manet.

Cutis calor ex natura est.

Lochia foetent.

Lochia solitæ naturæ sunt grumulis sive coagulis in iisdem apparentibus.

*In Febre Puerperali.**In Hysteritide.*

Abdominis dolor totius diffunditur, et uterus non facile manu sentitur.

Manu uterus facile sentitur, rotundus est, ad pubem tenerrimus, levi pressurâ afficitur, dolore inde aucto.

Lochia aut alius fluxus similis plerumque prodit.

Nihil effunditur.

Os Tincæ neque calet neque dolet.

Os Tincæ perquam calet, dolet, et siccum est.

Capitis dolor non semper urget, et delirium interdum tantum adest.

Admodum caput dolet, delirio accedente.

In Febre Puerperali.

In Colica.

Abdominis dolor perpetuus est.

Dolores abdominis post intermissiones breves urgent, ultra regionem umbilicalem tendunt, et cardiacis, admotoque extrinsecus calore, sublevantur.

Pulsus micant, ut supra exposui.

Pulsus non præter solitum micant.

Vultus pene semper pallet.

Vultus, dolore urgente, rubescit.

DE PROGNOSI.

IN hoc morbo prognosis in dubio est, et plerumque infausta: omnium enim morborum, auctore Gordon si a peste decesseris, maxime periculosus est Febris Puerperalis.

Ad sanitatem perveniendi spem dant abdominis dolor remediis adhibitis facile cedens, abdomen molle et naturale manens, vultus placidus factus, pulsus minus celeres evadentes cum vi aucta, prout celeritate imminuuntur, sitis minus molesta, alvus probe, ut decet, munere fungens, et caput parum inter morbum affectum.

Contra autem quoties abdominis angor non imminutus perstat aut usque augetur, gravi dolore ad pelvem relato, quem ante partum femina querebatur, redeunte, pulsus frequentiores et debiliores fiunt, vomitus cum siti ingravescente urget, Diarrhœa adest, inflammatio Erysipelatosa * artuum juncturarum, per

* Doctores Gordon et Hey minor affirmant inflammationem Erysipelatosam semper malis hujusce generis epidemicis, de quibus ipsi scriberent, boni ominis indicium esse. Contra autem Dr Labatt unam tantummodo hoc morbo implicitarum, in quibus talis inflammatio incidisset, ad sanitatem pervenire vidit.

totum corpus maculae putridae apparent, jactatio est, anxietas major, floccitatio, et sudores tenaces accedunt, plerumque mors in proximo est.

DE MORBI CURATIONE.

IN curatione exponenda, medendi rationum, auctoribus, de quibus superius dixi, proditarum quae quibus sint anteponendi non propositurus sum: sat erit ea curationis genera meminisse, quae ipse adhiberi viderim, successu ex eventu judicato. Vidi autem, nisi fallor, fere omnia remedia usurpari plerumque auctoribus laudata, et pene eo usque quo quisque praecepit.

Missio sanguinis generalis prodesse videtur, morbo cum pulmonibus male affectis juncto, aut eodem ex frigore suscepto inter parturientum excitato; potissimum est salutaris, quoties, dolore abdominis morbi proprio incepto, protinus adhibetur, necnon in genere morbi sporadico; ceterum ad eandem magis caute confugiendum est in genere mali epidemico, quale in Nosocomiis conspicitur, quoniam hoc magis proclive est ad se vertendum in formam

Typhoideam. Sanguinis detractio specialis commodum quoque magnum affert. Quoties hæc convenire putatur Doctori Labatt placet LX aut LXXX hirudines eodem tempore esse admovendas, quoniam inde quam maxime proficiatur utilior est profecto detractio sanguinis generalis, pulmone laborante, aut ventriculo adeo irritabili ut neque cibum neque potum assumptum retinere queat. Quod ad sanguinis quantitatem mittendam unumquemque medicum ex indiciis morbi urgentis judicare oportet, nec opiniones cujuscumque temere inire quæ in errores ducant, nec ad deliquium detrahere, nec adeo parce, ut nihil boni, quod decet, ægro-
tanti afferatur, remedio præterea inde in infamiam cedente. Sed officium est caute indicia, ægræ vires atque morbi hujus maturam quantum notam, propensare, ut cum ægro-
tantis commodo cumque sui remedii que fama eodem utatur. Quoties pulsus, remedio hocce adhibito, minus frequentes, pleniores, et validiores evadunt, dolore abdominis simul levato, multo proficietur, si (ut fit siquando catarrhus cum hoc morbo jungitur) vultus minus ruber evadit, tuto licet remedio iterum uti, sive gene-

rali sive speciali, prout alterutrum jam bene cesserit.

Purgantia Medicamenta curâ, qua decet, adhibita præstantissimos effectus edunt in pene omnibus morbis, quibus mulieres sunt obnoxiaë : in eorum autem nullo melius quam in Febre Puerperali proficiunt ; quippe quo in malo alvus plerumque pertinacissime astricta est. Quum autem sexus muliebris, ut omnibus bene noscitur, parum attentionis ad alvi statum dare soleat, quumque id, quod alvus contineat, diu retentum atque coacervatum ex necessario acre fiat, verisimile est causam morbi excitantem non secus atque prædisponentem, de qua jam retuli, provenire inde posse. Plerumque perquam foetida nigroque colore stercora sunt et recenter edita fermenti spumosi speciem reddunt : morbi levamen dejectiones statim afferunt, et sæpius motæ plus ad medelam conferunt quam quicquid aliud eorum, quæ penes medicum sunt. Ad alvum autem probe dejectiendam plures medicamentorum formulæ præceptæ, e quibus aliæ sunt eligendæ, prout res aliter se habeant. At profecto haud ita multum interest, quæ quibus anteponas, dummodo intestina probe expurgata et materia of-

fendente morbidamque actionem excitante, vacuefacta fuerint, nullis ut videtur vim specialem in morbum præstantibus. Inter multa tamen hujusmodi medicamenta nullum efficacius est quam Spt. Terebinthinæ, cui ad æqualem aut etiam ad duplicem modum oleum ricini adjectum est. Hæc enim compositio tum celeriter, tum leniter effectum præstat, et flatum, si quis adest, commode expellit: calefacit quoque et urinam movet. Alvo sæpe ad plenum dejecta, oportet eandem rite usque movere, tum ne quid materiæ irritantis relinquatur, tum ne, actione vehementi ortâ, malum tympanitici generis, ad quod intestina proclivia videntur, inde afferatur, ad quam rem purgantia lenia sunt idonea; siquando tympanitis accesserit, medicamenta, secundum formulam quæ sequitur, multum profecisse videntur.

℞ Assafætidæ Ferulæ,
Submuriatis Hydrargyri,
Extracti Coloquintidis,
Camphoræ āā. ʒi M. fiat massa.

in pilulas v granorum dividenda; quarum ij vel iij pro dosi, prout opus fuerint sumendæ sunt.

Cum magno commodo enemata adhibentur

et ob multa, inter alia, quia calore suo partes Recto vicinas, veluti uterum et vesicam haud parum plerumque irritata probe foveant et lochiorum fluxum atque urinam movent, deinde e recto intestino submovent quicquid materiae lædentis ibi adsit, tum porro sitim restinguunt cutemque emolliunt, halitu ejusdem inde expedito. Si tenesmus urget, enematis anodynis adhibitis, cito quiescit. Hujusce generis enema efficitur e jusculi tenuis aut decocti avenacei lbj. cui tincturae opii ℥i adjecta est, viribus ægræ forsitan inde quoque sustentis; pro enemate purgante, quoties medicus cupit rectum intestinum emundare, nihil melius convenire scio quam id, quod ex Spt. Terebinthinæ ℥ss, et jusculi tenuis aut decocti avenacei lbiss constat: imprimis idem utile est ad tumorem abdominis tympaniticum submovendum.

Ut in omni febre, ita in hac, balneum calidum magnopere prodest; cutem relaxat, irritationem corporis lenit, atque mutationes admodum auget salutare, quas sanguinis detractio aut purgantia medicamenta præstiterint. Post hac remedia adhibita quam maxime convenit, raro ante, præsertim si quando caput se male habet; ægrotans nunquam inde languida red-

ditur, potius recreatur et reficitur; abdominis enim molestia quæ restat semper ab eodem tollitur, et si iterum accedit, iterato balneo, sublevatur aut ex toto submovetur.

Emplastra vesicatoria aliquando proficiunt, sed ad id necesse est ut satis ampla sint ad totum abdomen tegendum, at, si per morbum licet, evitanda sunt, quippe quæ hæc incommoda secum afferant quod ægram multum irritant, et quod impediunt, ne medicus certior fiat quomodo abdomen se habeat, id quod maxime necessarium cognitu est, quo morbus recte curetur.

Ulterioribus diebus opiata perquam salutaria sunt, eo quod id agunt, ut quies ægrotanti post miseriam concilietur; ex his medicamentis, pulvis ipecacuanhæ compositæ maxime convenit, quoniam hoc medicamenti genus plerumque sudorem simul elicit. Utile est quoque opiata cuidam latici adjecere ut pro enematis usurpentur, neque mihi dubium est quin cum catharticis juncta quam maxime inter ipsa morbi initia proficerent; ad hanc rem tamen oportet ut ad plenum adhibeantur veluti ad tinct. opii gutt. l. vel lx. cum olei ricini aut mixturæ terebinthinæ jam dictæ ʒiss. Talia remedia

magnopere juvasse reperi in colica vehementi, aut alvi malis gravibus simul cum dejectionibus biliosis, vel aliquando cum obstipatione, ex opii potestate sedanti tempus præbebatur ut remedium purgans plene effectum suum præstaret, plerumque æger vehementi dolore liberatus est, et sudor copiosus, purgatione cessante, prohibuit ne dolor iterum accedat.

Vino et Cardiacis uti non fas est, nisi quum, morbi vi quiescente, ægra tum ex effectibus morbi tum e via medendi adhibitâ jam multum debilitatur, adeo ut iis plane opus sit ad vires ei reddendas. At caute semper concedi debent, quoniam omnibus e morbo convalescentibus haud multo major justo indulgentia recidivum malum facere potest.

Spiritum Terebinthinæ multi pro specifico remedio in hoc malo habuerunt, eum nunquam vidi adhiberi nisi pro purgante aut enemate, at de eodem alios rogavi et certior factus sum a viris summæ probitatis, quos præjudicio penitus carere summopere mihi persuadetur, se hoc remedium ad plenum adhibuisse et, quam remedia quæ vulgo præcipiantur, nihil magis profecisse.

FINIS.